Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2869
Quelle:
Copyright:

ber generacionis ihesu christi &c. *Omelia Ex Commentario Rabani Archiepiscopi. De Eadem Lecciones.* Incipit: *Exordio suo satis ostendit. generacionem christi secundum carnem se suscepisse narrandam* &c. extatque *Opp.* T. V. *edit. Colon.* initio. Ultima nobis verba sunt: *appellari fecit perenni nomine christianos.*

Fol. 143. p. 2. *Symbolum Apostolorum.* Catechesis est in illud explanatoria hoc initio: *Haec Doctrina Apostolica. Symbolum dicitur. Symbolum greca lingua dicitur an latina?* &c. Hoc fine: *Amen vero hebreus sermo est. latine dicitur uere. siue fideliter. siue fiat.*

Fol. 144. p. 2. *Ordo De Verbis Grecis Baptisterii. Quomodo uertantur in latinum.* Incipit: *Baptizo te. Hoc est Unguo te* &c. Finit: *semper fuit pater. semper filius. semper spiritus sanctus.* Ejusdem rationis est cum praecedente.

Fol. 145. *Expositio Sancti Athanasii Alexandrini Episcopi de Fide Catholica.* Incipit: *Fides est credulitas illarum rerum. que non uidentur.* &c. Definit: *id est absque ruga. firmiterque crediderit. saluus esse non poterit.* Quamvis per *Bibliothecas PP.* variae hujusmodi *Catecheses* occurrant, praesentium tamen Autorem detegere nequaquam potuimus.

Fol. 147. Collecti quidam *Canones de Iudaeis* ex Conciliis *Agath. Tolet.* &c. comparent; quibus tamen p. 2. alia manu interjecta est sequens Nota: *Anno dominicę incarnationis Mill LXX°. Indictione VIII. XII. kl. iul. dedicauit hoc oratorium Ernfridus altenburgensis ęcclesię episcopus consensu Sigifridi archiepiscopi mogontinę sedis rogante et presente Arnoldo abbate monasterii sancti Albani In honorem domini nostri ihesu christi et sanctę Crucis et sancte Marię perpetuę uirginis et Sancti Albani mart. Hę reliquię continentur in hoc altari Sancte Marię v. Sancti Iohannis bapt. Bartholomei apostoli Albani mart. Sebastiani christi mart. Yppoliti mart. Romani mart. Iuuenalis mart. Siluestri pape. Gerdrudę v. Waltpurgę v.* Ex hac Nota sequi videtur primo: Falli Scriptores, qui sedem *Altenburgensem* sive *Oldenburgensem* a morte *Ezonis* seu *Eyzonis* 1062. per annos 84. vacasse adfirmant. Dein emendandam in *Chronico S. Albani* a *G. Hellwichio* edito et *Rer. Mogunt.* T. II. P. 2. p. 713. inserto Abbatum Seriem, *Arnoldum*que ad an. 1070. reponendum. Denique *Sigifridum* Oratorii dicandi provinciam *Ernfrido* detulisse ob iter eo anno Romam susceptum, de quo *Nic. Serarius Rer. Mogunt.* L. V.

Fol. 147. p. 2. sequuntur octo Verficuli ad S. *Vincentii* tumbam, ut videtur, adscripti, quos damus:

Vincens torquentem. uictor uincentius hostem
Palma martyrii quem cepit regia celi.
At nos indignos magna pro parte potitos.
Corpore sacrato loculo gaudemus in isto.

Hic